

potè, indefinitè, absque lege, & antè legem. Ergo antè Adamum, cum definitè lex data fuerit Adamo.

CAPUT XVIII.

Introducitur vivus homo absque lege, vel antè legem & Adamum, loquens secundum mentem D. Pauli.

INTRODUCAMUS & nos ad exemplar D. Pauli, hominem eundem Præ-Adamitam, homines Adami posteros affantem. Fingamusque illum bifrontem, qui antecedentia Adamum & legem viderit tempora; quique sequentia Adamum & legem noverit secula. Qui viderit utriusque status homines: & sub statu naturæ creatos, & sub statu legis positos.

O vos! dicet ille, sub statu legis constituti: vos ego alloquor. Attendite & videte; quæ differentia fuerit inter me creatum antè legem, & vos à lege sive post legem progenitos. Vivebam ego quondam sub statu illo naturæ, qui à vestris presentitus, sed neque dum cognitus fuit. Vivebam inquam sub statu illo, absque lege Dei. Et vivebam vitâ illâ naturali tantum, quæ mihi communis erat cum cæteris animantibus. Vivebam absque cognitione veri illius Dei, qui creavit cælum & terram. Et vivebam absque ullâ cognitione voluntatis ejus.

Quicquid Dei notum mihi poterat esse, manifestum mihi erat lumine illo innato, & rectâ ratione illâ quæ mihi à naturâ indita erat. ^a Invisibilia Dei illius intellecta & conspecta mihi erant, à creatione mundi, & per ea quæ facta erant Præsumebam Deum illum esse, indagine illâ naturali quæ non nisi in uno principio creatore conquiescit: sed Deum illum non noveram. Incognitus mihi erat tunc

^a Cap. I. Epist. ad Rom.